



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Evangelistarivm M. Maruli Spalaten. opus vere
euangelicum, sub fidei, spei & charitatis titulis in septem
libros partitum**

Marulić, Marko

Coloniæ, 1532

VD16 M 1298

de desperatione. cap. 2.

urn:nbn:de:hbz:466:1-35578

Psal. 20.

vincula, rumpe laqueos omnes: & diutinam mortem detestatus, ad illum conuertere qui suscitatur mortuos, & qui sepultos tumulatosque facit reuiuiscere, & excusso de pedibus puluere mundatos exire, qui dimittit aubet peccanti non tantum septies. sed etiam septuagies septies. Semper itaque spera in domino, & ora cum propheta & dic: Miserere mei deus secundum magnam misericordiam tuam, & secundum multitudinem miserationum tuarum dele iniquitatem meam: ut & misericordiae magnitudo magnitudinem, & miserationum multitudo multitudinem tollat delictorum. Postremo ita tibi persuadeas velim, nullum esse omnino vitiose genus, nullum numerum, quin vtrunque clementia ignoscat diuina his quos peccasse poenitet, & misericordiam implorare non piget, a peccatis quibus deo offendetur pro viribus abstinendo, quibus placatur iustitiae operibus sese exercendo. Solis impoenitentibus & desperatis non est veniae locus, nequius tamen peccant & desperant, quam qui praesumunt, de vtrorumque nunc vitio, cum de spe veniae satis haecenus dictum sit, breuiter explicemus.

¶ De desperatione. Cap. II.

Luc. 23

QVI praesumunt, quoniam in peccatis perseverando se saluari sperant, dei iustitiae derogant. Qui vero desperant, quia sibi ignosci posse diffidunt, dei misericordiam denegant. Praesumptioe versus est latro a sinistris dominicae crucis pendens, cum dixit, Si tu es Christus, saluum fac teipsum & nos. Non enim erroris poenitet dubitando de Christo, non criminis, rapinas quas fecerat silentio permittendo, & tamen arroganter petit ut saluetur. Sed licet ille de poena, quam tunc patiebatur, liberari postularit, ei tamen illi simillimi sunt, qui corrigi nolunt, & poenam quam in inferno luituri sunt, se liberos fore sperant, deum quidem misericordem esse confitentes, iustum autem negantes. His contrarij sunt qui desperant. Grauitatem enim delictorum suorum considerant, & ma-

gnitudinem diuinæ miserationis non perpendunt. Desperauit Cain, cum fratre interempto diceret, Maior est iniquitas mea, quam ut veniam merear. Si de dei clementia recte sensisset, profecto etiam id quod non merebatur, ab eo sese impetraturum penitendo sperasset. Nemo quippe veniam accipit, quia ipse meretur, sed quia benignus est ille, qui eam largitur. Desperauit & Iudas domini sui proditor. Peccauit (inquit) tradens sanguinem iustum, restituitque argenteos, quos inique acceperat, Sed nec penitentia illi profuit, nec satisfactio, quia dolore supatus ad laqueum confugit, non ad dei misericordiam. Dolere quidem debuit de peccato, sed non ita ut spem quam in deo est, de manibus dimitteret. Nos igitur qui deum in multis offendimus, & dolendo de culpa veniam speremus. & sperando veniam de culpa doleamus. Vtrunque necessarium est ei, qui & penas cupit euitare, & beatitudinem consequi sempiternam. De spe autem temere presumentium dicitur, Spes impiorum peribit. Et de errore desperantium: Si desperaueris (inquit) lapsus in die angustiae, imminuetur fortitudo tua. Dies angustiae dies iudicij est. Cuius autem tunc fortitudo imminuta fuerit, hic demonum accusationibus grauatus damnationi succumbet.

Gen. 4.

Matth. 28

Proue. 10.
Proue. 24.

De decem preceptis Cap. III.

Ilius autem spes nunquam fallitur, qui dei precepta quam potest studiose obseruat, dicente domino in euangelio, Si vis ad vitam ingredi serua mandata. Mandata vocat quae decalogo continentur. Non habebis deos alienos, deus enim unus est. Qui somniis & sortilegiis & maleficis diuinationibus fidei praestant, deos alienos colunt. Cum enim solius diuinæ sapientiae sit, futura nosse, hoc quod dei est, alijs tribuere praesumunt, Non facies sculptile, eo videlicet animo, ut adores illud ac pro deo habeas. Non est sceleris huius expertus, qui pecuniam seculique diuitias magis quam aequum bonumque diligit. Apostoli autoritate hoc probamus, qui Colos.

Exo. 20
Primum
preceptum.